



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Abramivs Er. 16. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

fendit, ipse cognitos incognitus domo excipit  
habetque per liberaliter. Postridic LONGINVS  
LONGINVM prodit, mirante & tesseram hospitii  
frangere ipso hoste renuente. Sed animos addit  
LONGINVS, jamque Martyrum purpuram ambiens  
vestes candidas induit, animamque cælo, caput  
Pilato dat ferendum. Hic nobile spolium in fime-  
tum abjecit. Prodidit tamen iterum se Divus, &,  
ut sepulchro caput cum filii cadavere conderet  
matronam oculis destitutam monuit. Itaque tan-  
tum thesaurum repetit cæca. Sed & oculos una  
reperit. Ex Metaphr. & vitâ Christi Germ.

Dominus meus Iesus, post cetera inestimabilis  
sua erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi  
propter me passus est latus fodit; quod videlicet non  
nisi de dextra propinare mihi vellet, non nisi in dex-  
tra locum parare refugij; utinam merear esse co-  
lumba, qua in foramine lateris dextri habitet? S.  
Bern. serm. 7. Qui hab.

S. ABRAMIVS E R. 16. Martij.

**A**BRAMIVS nobili loco natus, ipso festo nu-  
ptiarum suarum die, cum domum sponsa du-  
cenda esset, damnato thalamo, & sponsæ & mun-  
do se subducens, in loca sola aufugit. Inde sacris  
initiatus, efferam gentem longâ patientiâ, & supra  
quam credi potest, magno labore Christo subegit.  
sub hæc Maria neptis ex fratre, quam ille à te-  
neris, moribus optimis ac summâ pietate imbuerat,  
cum semel lapsa esset, per omnia deinde vitia vo-  
luta, ex eremo demum in mundum (hoc est ex  
cælo in orcum) præceps ivit. Iam publica infamia  
& scopulus audiebat castitatis, cum ostento divi-  
nitus objecto ABRAMIVS draconem vidiit immani-  
richtu columbam incautam deglutire, qui tamen

mos

mox medius ruptus aëri & libertati pavidam red-  
deret. Hoc viso animatus, cùm & fugam lapsæ , &  
reditum resipiscentis non malus vates ominatus  
esset ingenium ecce exerit, & id ætatis senex mi-  
litem induit atque urbem petit. Hic qui L. ipsos  
annos vinum nec libaverat , convivium instruit,  
mensæ neptem adhibet , quæque ad hilaritatem  
faciunt , omnia facit pius auceps. Mox tamen ca-  
ptâ in tempore occasione, quis sit? aperit. cur ve-  
nerit? exponit. Tum verò verbis DEO plenis ag-  
greditur, & primò mirari , deinde nutare, tum ce-  
dere , demum manus dare Mariam cogit. quid  
multis? ad columbaria Eremi reducit. Quid ibi-  
ais, columba capta? nempe genuit. Ex vitiis PP.

Deus ob ineffabilem misericordiam , Crucem pro-  
pter nos sustinuit; cur non & nos erga proximos justè  
simus , & agnoscentes eos ut membra nostra, & eri-  
pientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis redu-  
camus ? S. Chrys. in Gen. hom. 3.

## B. TORRELLVS C. 16. Martij.

P Etrum videre te alterum pûta ,cùm TORREL-  
LVM vides. Nam & hic forte fortunâ gallum  
in humeros involantem , tertioque cantantem au-  
divit, flevit , resipuit, & ex Veneris , cui meliorem  
ætatem devoverat , mancipio cæli delicium fa-  
ctus, quidquid pauculis annis in urbe peccavit,  
LX. omnino annis intei silvas damnavit. In his ci-  
vium illi frequentia arbores, tectum cælum, vestis  
seorsum porci corium , arma, quibus in se uteba-  
tur, catena ferrea, deliciæ panis & fons , cubile ter-  
ra, plumæ sarmenta, cervical lapis fuâre. Sic quo-  
que non nisi tres horas somno , reliquum omne  
noctis lacrimis transcripsit , tunc etiam credo à  
gallo